



Disputationum practicarum de historiis aegrorum quinta, de mania

<https://hdl.handle.net/1874/340995>

DISPUTATIONUM PRACTICARUM

D E

HISTORIIS ÆGRORUM,

Q U I N T A,

D E

M A N I A.

Q V A M

FAVENTE SUMMO NUMINE

S U B P RÆSIDIO

C L A R I S S I M I V I R I

D. ISBRANDI DE DIEMERBROECK

Med. Doct. ac in Inclytâ Ultrajectinâ Academiâ Medicinæ
Practicæ & Anatomes Professoris Extraord.

Publicè ventilandam proponit

ABRAHAMUS V A N D E R M A S T, Hagâ-Batav.

Ad diem 19. Februarij, horâ nonâ matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,

TYPIS Theodori ab Ackersdyck, & Gisberti à Zijl.

C I O I O C L I.

Ornatisimis, doctissimis, spectatissimisque viris.

D. JACOBO VANDER MAST, humanorum litterarum cultori doctissimo, & in exercitu Ducis Lotharingiae, Equitum Magistro strenuissimo.

} huic
Fra-
tri.

D. CORNELIO VAN STRYEN, J. U. D. & coram Curia Provinciali Hollandiae Advocato prudentissimo.

} Illis
Affi-
nibus.

D. ADRIANO VAN STRYEN, J.U.D. nec non Celsiss: Princip: Auriac: ut & Curiæ Provincialis Hollandiae Advocato dignissimo.

D. PETRO TAURINO in Ecclesia Remonstrantium, quæ Ultrajecti colligitur Pastori fidelissimo doctissimoque.

D. PASCHASIO VANDER MAST, M. Doct: & Bergæ ad Zomam Practico experientissimo,

} Et cog-
nato a-
mandis,
colendis,
& quo-
ad vivam
suspi-
ciendis.

Hanc disputationem

Submissæ offert

ABRAHAMUS VANDER MAST.
Reſp.

HISTORIA.

Domicella nobilis circiter 28. annorum, robusta, sagax, Melancholica, subtristis, cogitabunda, diatam inordinatam servans, obstructionibus in hypochondriis interdum obnoxia; cum se à parentibus parvi fieri animadverteret, diu altum pressit corde dolorem, ac magna cum simulatione hilaritatem quidem in propatulo finxit. Solitaria vero integras noctes insomnis cum tristitia, morositate fletu, ac suspiriis transegit. Tandem capit is dolore cum febricula inordinata continua correptia est; quem dolorem paucis post diebus non sentiit amplius, sed mente laborare comperta est; nam quae taciturnior esse solebat, loquacissima prater consuetudinem evasit, ita ut sine ulla fere cessatione continuo loqueretur, & non dies tantum, sed integras quoque noctes garriendo insumeret, nullo propemodum intercedente somno. Primo biduo vel triduo, quamvis multa loqueretur, nihil tamen à ratione alienum dicere videbatur: postea vero multa delira admiscebantur. Hoc tempore febricula desit. Vigiliae tamen permanserunt. Delirium illud intra paucos dies valde adauictum est, ita ut agra vix quippiam sani loqueretur amplius, morosa evasit & iracunda, per cubiculum discurrebat, vociferabatur, & tandem omnino furibunda adeoque sui imposfacta est, ut in quoslibet adstantes violentas manus inferret, impudica loqueretur, suaque vestimenta dilaceraret: ita, ut, ne vim faceret sibi aut aliis, à quatuor fortissimis mulieribus continuo brachia cruraque ejus continenda forent,

rent, cum illam ligari non permetterent parentes. Interim vires robustae sunt, menstrua ordinariis periodis sati copiosè fluunt, appetitus mediocriter constat, nec magna satia adest. Ab intensissimo hyberni aëris frigore & asperrimo gelu non admodum refrigeratur, licet saepe vestibus parum aut vix coniecta sit, semper tamen calida reperitur. Furore hoc per aliquot menses durante & magis ingravescente, Medicorum consilia expetuntur.

T H E S I S I.

CErebrum in hac ægra graviter affici, liquet ex continuo furore cum vigiliis perpetuis: cor quoque reliquumque corpus pati, liquet ex audacia, ira, totiusque magno calore.

II.

Delirium hoc Mania appellatur, estque mentis diuturna emotio cum feroci audacia, à fervore spirituum orta.

III.

Inter causas evidentes primaria fuit cordolum ipsi à dicto parentum vilipendio illatum: quod etsi simulatione quadam suppressum fuerit, tamen in subiecto Juvenili per se melancholico, & propter victimum inordinatum ex parte quidem biliosis, sed pluribus melancholicis humoribus abundante, hincque ad morbos proclivi, hujusmodi delirium cum furore inducere potuit: Hoc enim vilipendium modò iracundiam ipsi movit, bile quæ melancholico humoris admixta est, effervescente; modò tristitiam, melancholicis succis emotis & bilem superatibus, & ab illa inordinata lucta & effervescentia bilis cum melancholia, tota sanguinis massa efferbuit, hincque processit aliqua putredo cum inflammatione, quæ febriculam inordinatam generavit, capitis dolore comitatem, quem induxere acres vapores biliosi & melancholici simul ad caput delati. Tandem illa bilis sanguinisque inflam-

inflammatione à melancholici humoris ferventis copia & qualitate superata, & extinctâ, evanuit febricula, atque à fervidis humoribus melancholicis in corpore & capite prædominantibus, à præcedente bilis inflammatione æstuantibus, spiritus animales etiam incanduerunt, hincque delirium accessit; primo mitius, spiritibus nondum valde excalefactis & agitatis; deinde violentum cum ira, audacia & furore: idque partim ab auctum spirituum animalium acrem fervorem, unde nimis attenuati & acriores redditi, rapide moventur, & inordinate ac violenter agitantur; partim propter spirituum quoque vitalium in corde effervescentiam.

IV.

Quia vero fervor ille non tantum inest spiritibus animalibus, sed etiam vitalibus, totique sanguinis massæ, hinc fit quod totum corpus adeo caleat, ut etiam ab externo aëris frigore non refrigeretur, sed semper calidum permaneat.

V.

Febris tamen non adest, quia fervor ille sanguinis & spirituum, magnus quidem est & acer, verum sine putredine & inflammatione.

VI.

Malum hoc difficulter curabitur; partim quod hic nobilissima viscera afficiantur: partim quod causa lateat in humore præsto, pertinaci & copioso: denique quod ægram propter furorem prorsus inobedientem habeamus, ita ut convenientia remedia commode adhiberi nequeant. Quo tamen diutius differtur, eo difficilior evadet curatio, ac proinde quam citissime, & quocunque fieri potest modo tentanda erit.

VII.

Indicationes curativæ primariae hæ sunt: I. Ut humor melancholicus in corpore abundans præparetur, evacuetur, ejusdemque & totius sanguinis ac spirituum fervor extinguitur. II. Ut nova ejusdem humoris & fervoris generatio impediatur. III. Ut viscera, imprimis cor, cerebrum, hepar, & lien, corro-

borentur. His autem indicationibus satisfaciendum est diæta, chirurgiâ, & pharmaciâ.

VIII.

Diæta quamvis in hac ægra furore percita debito institui nequeat, illius tamen, quantum fieri poterit, ratio habenda est. Cubiculum igitur in quo decumbit, subobscurum sit; in quo à vi-ris vel mulieribus robustis bene servetur, vel latis fasciis brachia ligentur, ne vel sibi vel aliis violentas manus inferat. Nemo ad illam accedat, præter paucos, qui continuo cum illa versantur, & quorum confortio sanitatis tempore gaudere solebat, neque illi multa loquantur. Aër sit temperatus. Cibi afferantur huime-ctantes, & modice refrigerantes, humidi potius quam secchi. Po-tus sit ptisana vel cerevisia tenuis. Animî emotions paucis & blandis verbis subinde demulcentur, iisque continuo blandis actionibus sine multa loquela obviam eatur. Omni modo stu-dendum, ut ægra quieta detineatur, & dormiat quantum potest. Menstrua, alvus, aliæque evacuationes, vel sponte, vel arte res-pondeant.

IX.

Quamvis ob furorem medicamenta sæpè abjiciat ægra, ten-tandum tamen an blandis verbis vel loco potus illi hic haustus obtrudi & exhiberi possit.

Rx. fol. sen. mund. ȝ. ȝ. sem. anis. ȝ. decocti hordei q. s. fiat
infusio s. art. adde colatura confectionis hamech ȝ. ȝ.
extraicti hellebori nigri ȝ. j. misce, fiat haustus.

X.

Corpo expurgato ad sanguinis missionem deveniendum est, quæ non semel facienda, sed postea sibi erit reiteran-da primo in brachio, deinde in manibus, in pedibus, in fron-te, aliisve locis convenientibus, & pro ratione virium bona san-guinis quantitas est detrahenda. Post venæsectionem bene ser-vanda est ægra, ne ligacula venæ dissectæ injecta detrahatur, sibi-que nimiam hæmorrhagiam faciat.

XI. Inter

X I.

Inter singulas venæsectiones subinde purgetur ægra haustu modo præscripto, vel pulvere diaffenæ, vel sola confectione hanech aliove simili medicamento. Vel si hæc omnia abjiciat, dentur illi talia quibus delectatur, ut myrra cydoneorum vel rob ribesiorum rubrorum, ad quorum singulas uncias, ipsa nesciente, diagridit; gr. xxiiij. admisceantur, atque talis mixtura dentur 3vj. vel viij, plus minusve, prout illam inde purgari observabitur. Vel si passulas corinthiacas amet, coquantur illæ in decocto foliorum senne & radic hellebori nigri, usque dum intumescent, postea inde exemptæ in loco ventis exposito aliquantum siccentur, ut coctas esse non animadvertis, sicq; comedendæ offerantur. Quod enim studio haberi non potest, fallaciis ab hac ægra impetrandum est.

X II.

Videndum etiam an blandis verbis vel fallaciis aliquoties de dic haustus hujus apozematis exhiberi possit:

Rz. rad. polipod querni, cichorei, ana 3j. cort. rad. cappar. tamareisci, ana 3 β. herbar. cuscut, capilli veneris, lattuc, taraxici cum toto, acetos. scolopend. boragin, buglos. ana M. j. florum cordialium ana Pj. cortic. citri, arantior. ana 3ij. fruct. tamarind. 3j. aqua q. S. coquantur s. art. & fiat Apozema ad libj β. si in hoc apozemate macerentur fol. senn. mundat. 3j β. rad. hellebori nigri 3vj. sem. anisi 3ij, fiat tali modo apozema purgans, quo, si ægra id afflueret, corpus subinde posset expurgari.

X III.

Hoc quoque conditum per occasiones offeratur.

Rz. Conserv. violar. rosar. pallid. rob. ribesior rubror, cortic. citri condit ana 3ij. pulpa tamarind 3vj. syrup. violacei q. f. fiat. Conditum.

X IV.

Quia somnus huic ægræ maxime necessarius est, ut ille etiam

etiam provocetur, studendum; vel exhibito circa vesperam *a-mygdalato*, cui syrapi papaverini ʒ ȝ. vel paulo plus admixtum sit; vel tria quatuorve grana *laudani opati*, semel aut bis in septimana exhibendo; vel caput unum aut alterum *papaveris albi* in apozemate antedicto coquendo: vel condito prescripto ȝ. vel ij. *requiei Nicolai* cum pauxillo *syrapi papaverini* addendo: vel frontem & tempora *oleo papaverino* & *unguento populeo* inunguendo. Cavendo tamen ne nimis frequenter, nimis diu, & nimis forte soporiferum detur.

X V.

Interea caput ablatis capillis, matutino tempore per horam unam aut alteram hoc fomento tepido foveatur.

Rx. *herb. beton, verben, majoran, plantag-ana m. j.*

lactuce, m. iiiij, flor. rofar. meliloti anethi,

chamemelini, ana M. I. sem. cannabis, coriandri ana ȝ ȝ. ȝ.

aqua commun. q.s. coquantur pro fomento.

Post fmentationem caput bene servandum & contegendum, ne ab aere frigido male afficiatur. Hujusmodi tamen fmentationio non conveniet, nisi corpore prius bene expurgato, & sanguine aliquoties detracto.

X VI.

Cum malum incipit mitescere, non male capiti imponetur gallina viva dissecta, vel pulmo ovis aut vituli recenter è mactato animali evulsus.

X VII.

Sunt qui in Mania etiam laudant suppedanea, & columbas dissecatas, vel tincam dissectam, vel folia brassicæ & ruthæ, cum fermento acido, sale & aceto, in formam pastæ contusa, plantis pedum alligant, quæ si non profint, saltem non nocent, ac proinde tuto adhiberi possunt in hac ægra, imprimis ut satis fiat iis qui curationem hinc dependere putant.

COROL-

COROLLARIA.

I.

An melancholici & maniaci ideo peregrinas linguas,
ut sunt Latina, Graeca, Hebraica, quas nunquam
didicerunt, interdum loquantur, quia demone ob-
sesi sunt? Aff.

II.

An maniaci ideo tot dieta erroribus possunt super vivere,
& quidem ~~dum~~ quia materia melancholica, calida & diu-
absque putredine ipsis fomentum & nutrimentum est?
Aff.

III.

Causa epilepsie nulla alia est, quam acrimonia sufficiens
quorumlibet humorum.

IV.

An omnes pleuriticos oportent sanare, venæflectione, an
etiam aliquos purgatione aff.

V.

An liceat interdum purgare ante coctionem citra turgen-
tiam aff.

VI.

Maniaci carent febre quia putredo humorum non adest.

F

Ad

Ad prestantissimum doctissimumque Virum
D. ABRAHAMUM VANDER MAST,
CUM DE
M A N I A
Publicè Responderet.

Quintus in ordine sic campo pugnabis aperto;
Non sic consuetus conseruisse manus?
Expugnes utinam; pugnā laudabere factā,
Consequitur magnum, maxima facta, decus,
Maxima facta decus sequitur, tu maxima facta,
Exsequeris, præ te gloria nostra nil est.
Optarunt alii capitis lenire dolorem,
Phrenitimve truci pellere de cerebro.
Vel sanare virum, bilis cui nigra molesta est,
Tristitiamque ægri, corde levare, sūi,
Vix tamen his, ipsis victoria lāta parata est,
Cur? quia non tanti pugna laboris erat.
At tibi cum furiis res est, non est tibi morbus
Hostis, at involitans proxima quæque furor.
Vix Medicus satis est, extra Medicamina eundum est,
Auxiliumque ferunt, lora, catena, domus.
His tibi vincenti victoria tanta paratur;
Cur? quia permagni pugnā laboris hic est.
Hac fruere, atque viam, cœlo decurre secundo,
Quæ tibi restat, eris tu quoque tum Medicus.

Scribebam Amicus individuus
HOBIVS JOAN. Med. Cand.